

cum illis futoris *Iacobi Böhmii* somnia atque figmenta, qui Angelos nullum unquam habuisse initium, deliravit. Audiamus *Bohmium* in aurora cap. 14. §. 7. differentem: Daß die Geister/ auß welchen Lucifer herkommen/ nicht gewesen neue Geister auß etwas anders gemachet/ sondern es wären die alten Geister/ die keinen Anfang hätten gehabt/ die in Gott wären ewig gewesen/ de quo vid. *Micraelii* Hist. Eccles. cum continuat. *Harnaccii* p. 1472. ut et *B. D. August. Pfeiffer* in der gerechten Sache Ratzeburg. 1695. 8. C. IV. p. 172. Esse enim creaturam, et nullum habere initium, omni modo et reuelationi diuinæ et lumini naturæ aduersatur.

Thes. XII.

Creatos igitur a DEO esse Angelos, cum a se ipsis esse nequeunt, certum est. Quod vero ad instans creationis primum, in quo nempe DEUS spirituales has creaturas creando produxit, cum de hoc in Scriptur S. tam expresse nihil occurrat, diuersæ obortæ sunt sententiæ. Nonnulli ex Patribus tam Graecis quam Latinis, ut *Origenes* Hom. IV. in Es. *Gregorius Nazianzenus* Orat. XXXVIII. de natali Christi, *Basilii* Hom. 1. et 2. in Gen. *Chrysostomus* Hom. 62. in Gen. *Ambrosius* l. 1. in Hexaem. C. 5. et alii in ea steterunt sententia, Angelos diu ante mundum conditum extitisse, quam quoque sententiam auide arripere Sociniani atque Arminiani, et ex illis *Limborchius* (de quo vid. *Lipsienses* in Actis 1686. p. 517.) qui Angelos, nescio quot seculis, rerum corporearum originem antecessisse, docuerunt. Alii vero nimis etiam, quam par est, ab hac deflexerunt via, inter quos *Eucherius Achatius*, *Gennadius* aliique, atque asseruerunt, Angelos demum post alias quascunque creaturas, adeoque post mundum hunc corporeum, productos esse. Sed cum neutra hæc sententia ipsi creationis historiae recte est conueniens, neq; firmis ad eo nititur rationibus, merito a nostratibus Theologis reiicitur, non prior, quia ante mundum si creati essent, aeterni forent, omne enim ante-mundanum stylo scripturæ est æternum iuxta Psalm. XC,

XC,